

mundanam pompam, omnem profanum luxum dedecere spirituales nuptias, quas eligit puella, quæ Deo et religioni se devovet, scite ponderat Navarrus, in tract. *De redditibus ecclesiasticis*, in fine quæstionis primæ, pag. 150, edit. Romanæ anni 1586, ubi hæc ad rem scripsit: « Quid, quæso, dicemus ad prodigas illas expensas, et profanos apparatus fieri solitos, ex pacto tacito vel expresso, dum puellæ vel ingrediuntur in monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicanur et inculpentur, et puniantur illæ, quæ taliter faciunt? Et simul etiam doceantur, quam honestior appareat cunctis hæc insipientibus, modesta quædam, humilisque temperantia, spirituali juncta contemplationi, quam pomposa profanitas, mundanæ cuidam admista voluptati, in funeribus ejus, quæ per professionem moritur mundo, et nascitur, vel excrescit Deo. »

(10. Pænæ contra Simoniam realem in collatione, et susceptione ordinum commissam sunt sequentes: Prima est, quod tam conferens, quam recipiens ordines per Simoniam realem sit ipso facto excommunicatus. Extravagant. *Cum detestabile* 2, De Simonia; cap. *Reperiuntur* 7, caus. 1, quæst. 1; Pirrhing, *loco cit.*, n. 156; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 257 et 258, et alii passim.

(11. Secunda est suspensio ordinantis a collatione ordinum saltem per triennium, et ordinati, donec ab ipsa suspensione per Sedem Apostolicam fuerit absolutus. Cap. *Si quis ordinaverit* 45, De Simonia. Item si Simonia crimen sit manifestum, tam ordinans quam ordinatus deponendus est a suo gradu et officio ecclesiastico, textu expresso in c. *Qui per pecuniam* 9, caus. 1, q. 1, ibi: « Qui per pecuniam quemque consecraverit, vel ab alio consecratus est, alienus a sacerdotio fiat. » Et ex constit. 91, Sixti V, incip. *Sanctum et salutare*, ordinans Simonia a collatione quorumcumque ordinum, et primæ tonsuræ, et ab executione omnium munerum Pontificalium, eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiæ interdictus existit, reservata harum censurarum absolute Summo Pontifici, quamvis Simonia esset occulta; quas pœnas in suo robore permanere voluit Clemens VIII, quamvis dictam Bullam Sixti V, quoad aliqua puncta revocaverit ad terminos juris communis in sua constitut. 40, incip. *Romanum Pontificem*; et si interdictum violat, præter irregularitatem, quam incurrit vigore cap. *Cum medicinalis*, 1, et cap. *Is cui* 20, De sententia excommun. in 6, etiam suspensus est a regimine et administratione suæ Ecclesiæ, et perceptione omnium fructuum a beneficiis suis provementium; sic expresse cit. const. Sixti V, inc. *Sanctum et salutare*, non moderata, nec revocata quoad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII, in dicta constitut. incip. *Romanum Pontificem*.

(12. Tertia est, quod ordinatus Simonia scienter, præter excommunicationem, quam ipso facto incurrit. Arg. cap. *Reperiuntur* 7, caus. 1, quæst. 1, et Extrav. *Cum detestabile* 2,

De Simonia, sit suspensus ab executione omnium suorum ordinum, non solum Simonia susceptorum, sed etiam aliorum, quamvis Simonia sit occulta, cit. Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia; quæ a doctoribus communiter intelligitur de suspensione omnium ordinum, etiam non Simonia receptorum, ut notat Pirrhing, *loco cit.*, num. 160; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 262; Lessius, *loco cit.*, num. 135, et alii passim. Et si postea in tali suspensione aliquem actum ordinis exercent, incurrit etiam irregularitatem. Cap. *Apostolicæ* 9, De clerico excommunicat., cap. *Is cui* 20, De sententia excommunicat. in 6. Et insuper incurrit privationem officiorum, et beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, si fuerit sæcularis; si vero regularis, privationem vocis activæ, et passivæ, atque inhabilitatem ad eam, reservata dictarum pœnarum absolute Summo Pontifici, etiamsi Simonia esset occulta; sic expresse cit. constitut. Sixti V, incip. *Sanctum et salutare*, non moderata, nec revocata quoad dictas pœnas contra Simoniacos a Clemente VIII, constitut. incip. *Romanum Pontificem*.

(13. Pænæ contra Simoniam realem in beneficiis ecclesiasticis commissam sunt sequentes: Prima est, quod tam illi, qui aliquid beneficium, sive officium ecclesiasticum, sive sæculare, ut episcopatum, archiepiscopatum, canonicatum, et hujusmodi; sive regulare, ut generalatum, provincialatum, prioratum, guardianatum, rectoratum, definitorium, et hujusmodi, Simonia conferunt, aut directe, vel indirecte procurant, eligendo, postulando, præsentando, commendando, et hujusmodi; quam illi, qui aliquo ex præfatis modis Simonia beneficium, aut officium hujusmodi acquirunt, ipso jure et facto incurritur excommunicationem Papæ reservatam. Cit. Extrav. *Cum detestabile* 2, De Simonia, et S. Pius V, constit. 5, incip. *Cum primum*.

(14. Secunda est, quod collatio, provisio et acquisitio hujusmodi beneficii, aut officii Simonia facta, sit ipso jure irrita et nulla, ita ut provisus teneatur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, et ad restitutionem omnium fructuum, si quos inde perceperit. C. *Si quis neque*, caus. 1, q. 1, c. *Matthæus* 23, De Simonia, et cit. Extrav. *Cum detestabile* 2, De Simonia, et S. Pius V, cit. constit. incip. *Cum primum*.

(15. Tertia est, quod qui Simonia hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum obtinuit, illud, utpote nulliter obtentum, ante omnem sententiam non solum dimittere teneatur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadat, nisi Papa dispenset. Cap. *Si alicujus* 59, De elect., cap. *Nobis fuit* 27, De Simonia, et S. P. V. cit. constit. incip. *Cum primum*.

(16. Quarta est, quod qui Simonia aliquid hujusmodi beneficium seu officium ecclesiasticum obtinuit, sit etiam inhabilis ad quæcumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Sic expresse S. P. V., citat. constitut., incip. *Cum primum*. Quam tamen

pœnam, vel non esse usu receptam, vel non obligare in conscientia foro ante condecoratoriam vel declaratoriam judicis sententiam, tenet Navarr., consil. 92, *De Simonia*; Castropalao, *De Simonia*, punct. 25; Pirrhing, *loco cit.*, num. 270; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 267, et alii.

(17. Quinta est, quod qui Simonia obtinet aliquid hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum, sit privandus per sententiam judicis etiam aliis beneficiis prius canonice obtentis, text. expresso in c. *Cum supra* 2, De confessis, cum similibus.

(18. Sexta est, quod qui Simonia obtinet aliquid hujusmodi beneficium aut officium ecclesiasticum, sit per sententiam judicis etiam ab altaris ministerio perpetuo deponendus, textu expresso in cap. *De hoc* 11, De Simonia, cum similibus.

(19. Supradictas juris pœnas inducit etiam Simonia juris ecclesiastici in resignatione et permutatione beneficiorum commissa; sic contra paucos communior doctorum cum abbate, in cap. *Cum universorum*, De rerum permutat., num. 6; Pirrhing, *loco cit.*, num. 155; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 272; Layman, *De Simonia*, cap. ult., num. 66; Suarez, et alii passim. Sacri enim canones et constitutiones Pontificiæ, dum pœnas contra Simoniam statuunt ordinarie in genere, et indiscriminata, de quavis Simonia reali loquuntur, adeoque etiam de Simonia juris ecclesiastici, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio* 8, ff. *De Publiciana in rem action.* Tenet quia plures sacri canones loquuntur de Simonia juris humani seu ecclesiastici, eamque pœnis juris subjiciunt, ut videre est in cap. *Quæsitum* 5, et cap. *Cum olim* 7, De rerum permut., cap. *De hoc* 11, De Simonia; Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia, cum similibus.

(20. Qui beneficium per Simoniam realem ab alio commissam obtinuit, tenetur illud etiam ante judicis sententiam dimittere, quam primum rescit Simoniam esse commissam, textu expresso in cap. *Eos qui* 2, caus. 1, quæst. 5, c. *Nobis fuit* 27, et cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ibi: « Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur. »

(21. Non tenetur autem beneficium dimittere ille, in cujus odium ipso ignorante, Simonia ab alio commissam est, textu expresso in cit. cap. *Nobis fuit* 27, De Simonia, ibi: « Nisi constaret illos, qui promissum tale (nempe Simoniacum) fecerint per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse. »

(22. Item non tenetur beneficium dimittere, qui contra Simoniam ab alio obtinendo beneficio committendam expresse protestatur, quamvis ipse alius, ignorante dicto expresse contradicente, in *Simoniam* pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur, in cit. cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ibi: « Quoniam ex eo quod contra prohibitionem, et voluntatem tuam (a qua post-

modum minime recessisti), alius, te penitus ignorante, promisit pecuniam, et exsolvit, nihil tibi debet ad culpam imputari. »

(23. Teneretur tamen beneficium dimittere, si sciret, quod dictus alius, non obstante contradictione et protestatione sua, nihilominus in Simonia pergeret, eaque mediante beneficium obtineret, quia sic acceptando videretur in re approbare *Simoniam*, et consentire in illam. Sic colligitur clare ex citat. cap. *Sicut tuis* 33, De Simonia, ubi excusatur a pœna nullitatis solum ille, qui post contradictionem ignorat beneficium ab alio *Simonia* pro se obtineri, adeoque ille, qui scit, non excusatur hoc ipso, quod sciat beneficium pro se *Simonia* fuisse obtentum. Eo vel maxime quod per verba textus allegati supra num. 20: « Secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur. » Lessius, lib. II, c. 35, num. 143; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 261, et alii passim.

(24. Et a fortiori teneretur tale beneficium dimittere, si per *Simoniam* alterius fuisset obtentum, sciente et non contradicente ipsomet, pro quo fuisset obtentum. In tali enim casu ipsemet plene consentire videretur, quia, ut recte advertit Glossa communiter recepta in cit. cap. *Sicut tuis*, verb. *Præbere*: « Sæpe qui tacet, consentire videtur, » per textum in l. *Sicut proponis* 5, cod. *De nuptiis*, l. *Solutio matrimonio* 2, ff. *Solutio matrimonio*, cap. *Si servus* 19, dist. 54, et expresse cap. *Qui tacet* 43, De regul. juris in 6, ibi: « Qui tacet, consentire videtur. »

(25. Qui se ignorante, seu omnino nesciente, per *Simoniam* alterius est ordinatus, de rigore juris, donec dispensetur, tenetur ab executione ordinis abstinere, postquam *Simoniacam* ordinationem resciverit. Argument. cap. *Præsentium* 3, caus. 1, q. 5, et cap. *De regularibus* 25, De Simonia. Poterit tamen cum taliter ordinato episcopus dispensare, prout habetur in cit. cap. *Præsentium* 3, caus. 1, qu. 5, et tenet Glossa, *ibidem*, quia talis, quamvis *Simonia* fuisset ordinatus, tamen *Simoniacus* non esset, ut dicitur in cap. *De Simonia ordinatis* 22, De Simonia.

(26. *Simonia* confidentialis pœnæ sunt sequentes: Prima scilicet, quod præter excommunicationem ipso facto ratione ipsius incurrendam, privat non solum beneficium, circa quod *Simonia* confidentialis commissam fuit, sed etiam aliis beneficiis et pensionibus canonice obtentis. Pius IV, constit. 85, incipient. *Romanum Pontificem*, et S. Pius V, constitut. 85, incip. *Intolerabilis*.

(27. Secunda est, quod inhabilem reddat taliter *Simoniacum* ad idem, et alia quæcumque beneficia obtinenda. Pius IV, cit. constitut. *Romanum Pontificem*; et S. Pius V, cit. constitut. incip. *Intolerabilis*.

(28. Tertia est, quod beneficium per *Simoniam* confidentialem nulliter acquisitum reservatur Summo Pontifici, ita ut nullus



alius illud conferre valeat; Pius IV et S. Pius V, in citatis constitutionibus.

(29. Quarta est, quod fructus ex tali beneficio male percepti applicari debent cameræ Apostolicæ. Pius IV, et V, in citat. Constitutionibus.

(30. Quinta est, quod præfata pœnæ contrahantur non solum per *Simoniam realem*, sed etiam per *Simoniam conventionalem mistam*. Sanct. Pius V, cit. constitut. incip. *Intolerabilis*; ubi S. Pontifex decernit pœnas contra Simoniam confidentialem statutas incurri, licet « ipsa Simonia confidentialis alterius tantum partis conscientia sit completa. » Vide ipsam constitutionem relata *supra* artic. 1, n. 16.

(31. Quæ autem sint pœnæ statuta contra dantes vel promittentes pecuniam, seu temporalia pro obtinenda justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam? Vide *supra* art. 2, n. 35, ubi ad id affertur per extensum constituto Alexandri VII, de datis et promissis pro justitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

(32. Quoad restitutionem Simoniacæ acceptorum, tenendum est pro certo, quod qui obtinuit Simoniacæ beneficium, seu officium aliquod ecclesiasticum, tenetur sub mortali sponte illud una cum omnibus fructibus perceptis ante omnem iudicis sententiam restituere ac dimittere, etiamsi Simonia sit occultissima. C. *Si quis neque*, caus. 1, quæst. 1, cap. *Matthæus* 23, De Simonia; Extravag. *Cum detestabile* 2, De Simonia; S. Pius V, constitut. 5, incip. *Cum primum*.

(33. Qui temporale accepit sub conditione, seu pacto dandi, vel præstandi spirituale, et postea conditionem, seu pactum non implevit, tenetur jure divino et naturali restituere totum acceptum. Communis ac certa. Et ratio est clara, quia sicuti dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus pauperi, facit ei injuriam et ad restitutionem tenetur, si pro dicta eleemosyna ipsi pauperi tradenda, ab eo exigat et accipiat pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quæ tanquam dispensator gratis distribuere debet juxta præceptum Domini, *Matthæi* x: *Gratis accepistis, gratis date*, temporalia exigit. Eo magis in nostro casu urget obligatio restitutionis ratione pacti expressi, quod non implevit.

(34. Qui pro electione, collatione, præsentatione, nominatione alicujus ad beneficium seu officium ecclesiasticum, aliquod temporale recepit, tenetur illud restituere ante omnem iudicis sententiam. Communis, et certa, textu expresso in cap. *De hoc* 11, De Simonia, ibi: « Reges et principes ejus debent inducere, ut si quæ receperint a præfato episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint. »

(35. Et quidem ad talem restitutionem tenetur de jure divino. Communis. Cum enim talis non sit dominus, sed dispensator solum hujusmodi rei spiritualis, et a Domino

Deo jussus, ut *gratis* distribuatur, *Matth.* x: *Gratis accepistis, gratis date*, facit injuriam Domino Deo, et illi, a quo pro re spirituali temporale exigit; sicque peccat contra justitiam, et consequenter tenetur ad restitutionem de jure divino.

(36. Qui temporale accepit ratione beneficii ecclesiastici, tenetur illud restituere Ecclesiæ, in qua beneficium existit, et non ipsi danti, præsertim post sententiam iudicis. Communis, et clare habetur ex cit. cap. *De hoc* 11, De Simonia, ubi expresse præcipitur, ut hujusmodi *Simoniacæ* accepta restituantur Ecclesiæ Oxoniensi.

(37. Advertunt tamen doctores cum sanct. Thoma, 2-2, quæst. 100, art. 6, ad tertium, posse tale temporale acceptum restitui pauperibus superioris arbitrio; imo multi asserunt jam legitime introductum esse, ut talia *Simoniacæ* accepta restituantur pauperibus, cum obligatio ea restituendi Ecclesiæ, et non alii, sit tantum lex humana seu ecclesiastica, cui potuit, et potest per legitimam consuetudinem derogari. Cap. *Cum tanto* 11, De consuetud.

(38. Ante sententiam tamen iudicis posse, imo deberi talia *Simoniacæ* accepta restitui illis, a quibus sunt accepta, defendunt absolute Sotus, lib. ix, q. 9, art. 1, *De Simonia*, et § *Ad textum*; Moya, tract. 6, *Miscellan.* disputat. 4, quæst. 6, § 2, num. 13; Bannes, 2-2, quæst. 32, art. 7, dub. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 296 et 297. Et probabiliter Palao, *De Simonia*, punct. 26, num. 5; Lessius, lib. ii, cap. 36, dub. 31, num. 171, et alii.

* His assentiri videtur Antoine art. cit., quæst. 20, resp. 4, ubi scribit: « Si Simonia non sit in beneficii materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit; quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit *Simoniacæ*, retinet dominium rei datæ, cum pactio *Simoniacæ* sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, et lex non prohibet reddi, quod *Simoniacæ* datum est, nisi Simonia fuerit realis in beneficio. Nam in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse mandanti, seu Ecclesiæ, agitur solum de Simonia reali in beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna cum sit quid odiosum non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imo cap. 19, *De Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui religionem *Simoniacæ* fuerat ingressus * »

(39. *Simoniacæ* accepta pro ingressu in religionem possunt retineri a monasterio in communi usu, ad non ad specialem usum superioris, seu superiorissimæ, aut alterius singularis personæ, id enim, nampe quod talia *Simoniacæ* accepta communi monasterii usui, tanquam piæ causæ remanere et applicari possunt, expresse concessum fuit in Extravagant. *Sane* 1, De Simonia, ibi: « Insuper erga personas illas, quæ in præmissis recipiendo aliqua contra canonicas sanctiones peccasse notantur, volentes nos reddere gratiosos omnia recepta hujusmodi, si ad

communem usum monasteriorum seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri; si vero ad specialem usum abbatis vel abbatissæ, prioris aut priorissæ, aut alterius singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. » Unde nullam esse obligationem ante iudicis sententiam restituendi *Simoniacæ* accepta in ingressu religionis, sed posse retineri et applicari, ut supra, expresse tenent Pirrhing., *loc. cit.*, n. 183; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 298; Palao, *De Simonia*, punct. 26; Lessius, lib. ii, cap. 35, dub. 30, et alii.

(40. *Simoniacæ* accepta pro collatione ordinis, et administratione aliorum sacramentorum, et sacramentalium restitui debent de jure divino, et consequenter ante omnem iudicis sententiam. Communis. Et ratio est clara, quia, cum talia, et similia spiritualia ex mandato Domini Dei, *Matth.* x, gratis conferri et administrari debeant, si quod temporale pro eorum collatione seu administratione exigatur, fit gravis injuria Domino Deo, et illis, a quibus exigitur, sicque peccatur contra justitiam, et insurgit obligatio id restituendi de jure divino.

(41. Et talis obligatio restituendi *Simoniacæ* accepta oritur etiam ex *Simonia mentali*; licet enim ex ipsa nulla incuratur juris pœna per dicta et jura adducta *supra* n. 2, oritur tamen onus restituendi temporalia *Simoniacæ* accepta: quod onus non est pœna juris, sed obligatio ex justitia et jure divino procedens ob injuriam illatam tertio; quæ obligatio etiam occultissima delicta afficit, propter quæ tales mentales *Simoniaci* « apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles judicantur, » ut expresse cavetur in cap. *Tua nos* 34, De Simonia.

Alia ad rem vide verb. ELECTIO, JUSPATRONATUS, PRÆSENTATIO, RESIGNATIO.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. Regulariter pœnæ contra *Simoniacos* haud incuruntur propter solam *Simoniam* conventionalem, ut recte notavit auctor, n. 3, et communiter tradunt Antonell., *De regim. Eccles.*, lib. vi, cap. 18, n. 13; Lotter, *De re benefic.*, lib. iii, quæst. 19, n. 150 et seq.; Novar., in summ. *Bullar. Commentar.* 117, n. 19; Panimoll., dec. 91, adnot. 1, n. 35; Rot., in recent. dec. 141, n. 16, part. xvi, et cum aliis in *Marianen. Beneficij* 28 Januar. 1745, § 8, cor. clar. mem. Millin.

(43. At in aliquibus casibus ex sola conventionali *Simonia* incurritur pœna nullitatis. Sic permutatio *Simoniacæ*, quamvis nihil adhuc datum, vel factum sit, irrita est, caretque suo effectu. Rota, *coram Crisp.*, dec. 102, n. 3, cor. Falconer., dec. 5, n. 10, *De benefic.*

(44. Idem dicendum de resignatione *Simoniacæ* labe infecta, ut respondit Rota, in *Paderbonen. Beneficij* 10 Martii 1747, § 2, cor. reverendiss. Molino, ibi: « Dubitari namque non potest, quin detestabile scelus *Simoniacæ*

niacæ pravitatis inducat omnino nullitatem resignationis, et beneficii privationem, etc. Quod procedit nedum in reali, verum in *Simonia* etiam conventionali, etsi effectu conventio caruerit, » et in confirmatoria 3 Junii 1747, § 1, cor. eodem.

(45. Et quod hic silentio prætereundum haud est, mox allegatæ *Decisiones in Paderbonen. Beneficij* magistrales sunt circa probationem *Simoniacæ*, et fere singulares, nam ut plurimum *Simonia* excludi solet ex defectu idonearum probationum.

(46. Num etiam in electionibus ex sola *Simonia* conventionali incuratur pœna nullitatis electionis? Vide apud Mayr, in *Decretal.*, lib. v, tit. 3, n. 138.

(47. De peculiaribus pœnis, quas incurunt *Simoniaci* pro varietate actuum, in quibus *Simonia* committitur, vide eundem Mayr, in *Decretal. dict.*, lib. v, dict. tit. 3, a n. 133 ad plur. seq.

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt causas, et titulos excusantes a *Simonia*, vel pœnis, ac restitutione *Simoniacæ* acceptorum. Et quoad ea, quæ concernunt dispensationem in pœnis *Simoniacæ*, et absolutionem a censuris ob eam incurris, et iudicem, et testes quoad eam.

SUMMARIUM.

1. Causæ et tituli excusantes a *Simonia* recensentur. — 2. Ab incurso *Simonia* excusat dare temporale ad redimendam vexationem injustam, quam quis patitur in jure spirituali jam plene quæsito, et quod habet in re. — 3. Item ab incurso *Simonia* excusat dare temporale ad redimendam injustam vexationem etiam in jure spirituali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, si dicta injusta vexatio veniat ab eo, qui solum nocere, non autem prodesse potest, ad tale spirituale obtinendum. — 4. Non excusat tamen ab incurso *Simonia* dare temporale ad redimendam injustam vexationem, si ipsa veniat ab eo, qui de jure prodesse potest ad tale spirituale obtinendum. — 5. Item non excusat ab incurso *Simonia* dare alicui, sive de jure ad beneficium prodesse valenti, sive non, temporale, ne vexationem justam incipiat, aut ab ea incepta desistat in beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. — 6. Ab incurso *Simonia* excusat dare et exigere temporale propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum; secus autem propter laborem intrinsecum. — 7. Qualis sit et dicatur labor extrinsecus et intrinsecus. — 8. Ab incurso *Simonia* excusat etiam ignorantia vere invincibilis. — 9. Causæ omnes et tituli excusantes a *Simonia* culpa, excusant etiam ab ejus pœnis. — 10. Ignorantia tamen invincibilis pœnarum, censuris exceptis, non excusat ab eis ipsos *Simoniacos*. — 11. Et de facto transgressores legis puniuntur etiam pœnis, quas ignorant. — 12. Ignorantia vero censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis contra legem agendo quis gravissime peccet. — 13. Temporalia *Simoniacæ* accepta restituenda sunt, licet quis ea accipiendo ignoraverit se peccare. — 14. Præscriptio tamen legitima excusat a dicta restitutione *Simoniacæ* acceptorum; dummodo tamen habeat omnes condiciones ad ipsam necessarias. — 15. Ab excommunicatione incurra ob *Simoniam* commissam in ingressu religionis, vel beneficio ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. — 16. Possunt tamen absolvere ab ipsa, si sit occulta, episcopi et regulares